Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2163

Quelle:
Copyright:

duas columnas probe exaratus, rubricisque distinctus continet: I. *Conradi de Halberstadt* O. P. *Trivium* initio ita mutilum, ut Literis A et B integre deperditis Litera C primum ab Articulo *Cor* ordiatur. Aliud hujus Operis moralis alphabetici Exemplum dedimus *Cod.* DCCLVI. pariter imperfectum. Cum vero in illo *Pars* I. usque ad Literam D progrediatur, *Pars* II. tota desit, praesens autem *Partem* I. in Litera C auspicetur *Partibus* II. et III. integris, vides e conjunctione illius et hujus *Codicis* Opus perfectum consurgere. Dixi de Eo, ejusque Autore ad *Cod. cit.* Hic addo, utriusque *Codicis* nostri a Cl. *Gentiloto* indicium factum R. P. *Jac. Echardo*, ut prodit ejus *Appendix T. II. Scriptorum O. P.* p. 820. Clausula Librarii nostri: *Explicit 3. pars triuij Editi a reuerendo Patre fratre Chunrado de Halberstade ordinis fratrum predicatorum. Amen. amen. dicant omnia.*

II. *fol.* 115. Collectanea maximam partem *Mythica* et *Historica*, sed ad significationem moralem obtorto saepe collo adtracta, quorum *Pars prior* e *Fab. Planc. Fulgentii Mythologiis* petita est, ita, ut *fol.* 127. legas: *Expliciunt ymagines secundum fulgencium; altera* ut plurimum e *Moralitatibus Rob. Holkot* O. P. *Northampton.* Angli in solo natali a. 1349. defuncti, quarum Editio *Veneta* 1514. 8. mihi objacet. Verum hi duo Fontes Collectionem nostram non exhauriunt; multa enim praeterea ex *Ovidio*, *Valerio Max. Boethio*, *Seneca*, *Aristotele*, *Plinio*, *Historia Barlaam* et *Gestis Alexandri moralizantur*, cumque *fol.* 166. p. 2. occurrant etiam *Septem* illa *Aenigmata Pythagorae* tributa *Aristoteli*, ut *Cod.* DCCLVI. vehementer suspicor, haec quoque *Collectanea* ad *Conradum Halberstad.* pertinere, esseque Partem Ejus *Tripertiti Moralium* Alphabeti nexu solutam. Scriptorem *Germanum* fuisse testatur Locus brevis *fol.* 728. *Die vnnuczichait deines leipleichen geschefftes macht dier ein armuet meiner genaden* &c. et Librarium infigniter rudem probat *Tullius Machadomius* pro *Tullius in achademicis. fol.* 134. p. 2.

DLXXI.

Codex chartaceus germ. Sec. XV. Folior. nunc 160. f. per duas columnas scriptus et rubricis distinctus continet: I. *Ottonis Passavienſis* O. M. Lectoris Conventus *Basileensis* Seculo XIV. cujus ne quidem *Waddingus* in *Scriptt. O. M.* meminit, Opus grande Asceticum dictum: *Viginti quatuor Seniores*, aut *Thronus Aureus*, quod *Antonius Sorg Augustae* 1480. et 1483. f. prelo subjecit, cujus itidem in linguam *Belgicam* versi editiones *Ultrajecti* 1480 et 1489. *Harlemi* 1484. et *Zwollis* 1485. f. memorari video. Initium in *Cod.* ducitur a *Summariis*, quibus exhibetur, quid quivis XXIV. Seniorum 236